



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Oratio Per Venerandum Virum Gvilhelmvm VVispeckivm
Philosophiæ Magistrum, ac S. S. Theologiæ Baccalaureum**

Wisbeck, Wilhelm

Monaci, 1569

urn:nbn:de:hbz:466:1-31534



~~724~~

J 372.

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

ORATIO PER
 VENERANDVM VIRVM
 GVILHELMVM VVISPECKIVM
 Philosophiæ Magistrum, ac S. S. Theologiæ
 Baccalaureum in lucem ædita, & in florentissima Acade-
 mia Ingolstadiana, cum quidam summæ spei ado-
 lescentes supremum Philosophici Do-
 ctoratus gradum conseque-
 rentur publicè res-
 citata.



Monaci excudebat Adamus Berg.
 M. D. LXIX.

PHILOSOPHUS MAGISTRUM, ac S. S. Theologiae
Hoc volumine in faciem redit, & in harenissimis Acad.
non inoffensum, cum quibusdam sumis factis
Lectis superius Philosophi Do.
horius gradum confertur
reum publice
cibus



Monaci excudebat Adamus Frey
M. D. LXXIX.

REVERENDO, ET INSIGNIS
PIETATIS, AC PRÆSTANTIS DO-
ctrinæ Viro, Domino Ludouico Holtzmair, optimarum
Artium Doctori, ac Præposito in Schefflering,
longè dignissimo, Mecenati suo perpe-
tua obseruantia colendo;

S. D. P.



Cum alia, quæ fragilitas nostra pos-
sident, caduca sint, & varijs fortunæ casibus subiacta,
Reuerende in Christo Pater, sola Philosophia, in qua re-
rum cognitio inest, sempiterna existit. Quamobrem ante
mens non multos, cum ex publico officio declamandi
munus suscepissem, optimo consilio orationem, quæ eius
dignitatem ac splendorem aliqua ex parte illustraret, composui, composi-
tamq; sub tui nominis auspicio in lucem emittere, ac in hominum manus
euulgare volui. Siquidem à teneris (vt Græci dicunt) vnguiculis literarum
fundamenta imbibisti, & ingenium, quod ad diuinæ naturæ imaginem ho-
mini inditum est, sic artium disciplinis exornasti, vt rerum omnium parens,
ac totius mundi princeps, tibi ad hanc tuendam vitam & diuina adiumenta,
& singularia præsidia contulisse videatur. Vnde ob præstantissimi ingenij
bonitatem, & exquisitæ doctrinæ eminentiam, vnanimi omnium contra-
rium tuorum consensu ad summos summæ dignitatis honores transcendisti.
Secutus es naturam optimam viuendi magistram, contemptis volupta-
tibus, posthabitis delicijs, spretis omnibus, quæ ad ferarum mores, atque ad
belluarum vitam proximè viderentur accedere. Iustis atq; legitimis rationi-
bus adductus, omnem vitæ simplicitatem ac rerum externarum despicientiam
elegisti. Sanæ enim religionis institutio, & recta diuini cultus obser-
uantia in primis hominem exornat, ac maximè ad salutarem viuendi disci-
plinam inducit. Quid r Experientia docet Monachorum ordinem, ad diri-
gendos fidelium & Christianorum populos plurimum profuisse, & sacra
ministeria obeundo, verbum Dei Euangelizando, peccatorum labem, &
flagitiorum foeditatem corripiendo Catholicæ fidei fundamenta roborasse,
& Apostolicæ sedis munimenta stabilisse. Nam ex eis religionibus tan-
quam

quam ex equo Troiano prodierunt viri graues. Doctores insignes, Magistri
virtute, doctrina, sanctitate præstantes, qui verbo pariter & exemplo genus
humanum ad malum, atq; ad libidinem proclive salutaribus monitis, ac Spi-
ritus Sancti voce ad bene ac piè viuendum compellere non dubitarunt. Sed
quorsum hæc commemoratio: quorsum? vt confratres tuo exemplo admo-
niti, in liberali ingenuarum artium studio pergant, & summa totius vitæ ina-
nocentia in vocatione sua perseuerent. Siquidem hac via & ratione potes-
tunt aliquando Christianæ genti in maxima omnium rerum perturbatione
subuenire, & toto (quod aiunt) pectore opem ferre. Non deerit bonis cona-
tibus author honorum Deus, qui suis operarijs augebit & confirmabit Spli-
ritum, quem ipse suggessit ad messem euangelicam feliciter excolendam.
Dominus & seruator noster Iesus Christus; atq; humani generis parens te
diutissime felicem, ac rebus omnibus florentem monasterio, imò Bauariæ
huic nostræ seruet, ac tueatur, cui me totum trado dedicor. Bene vale
Monaci 22. die Octobris.



Tuæ Reuerendæ Celsitud.

Deditissimus

Guilhelmus Vuispeckius.

Inter

ORATIO IN LAUDEM PHILOSOPHIÆ.



Nter omnes liberalium studio-
rum disciplinas, quibus hominum vita in-
stituitur, Ornatissimi Viri, ac iuuenes stu-
diosissimi, summum atq; eminentissimum
locum obtinet Philosophia, omnium lau-
datarum artium procreatrix, omnis officij & honestatis
quasi parens quædam nunquam satis celebrata. Siquidem
ea tradit, quæ ad vitam hominum conformandam, quæ ad
virtutem capessendam, quæ ad fælicitatem adipiscendam
pertinent. Quod si omnes homines scire desiderant, id
quod summus Philosophus in Metaphysicis ait, si omnes
trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupidita-
tem, quod perpetuum eloquentiæ decus & lumen asserit,
si naturam omnium rerum parens, ac totius mundi prin-
ceps veri adipiscendi cupientissimam fecit, quod Lactan-
tius Firmianus ostendit, quid est quod possimus aut quæ-
rere melius, aut fructuosius inuestigare, aut scire omnino
præstabilius, quam quæ Philosophicis traduntur libris?
Hæc enim illa studia sunt, quæ Platonis doctrinam, Des-
mosthenis eloquentiam, Aristotelis acumen, Isocratis sua-
uitatem, Poëtarum blandas illecebras, Rhetorum splen-
dida ornamenta & explanant & illustrant. Quæ cum ita
sint vereor in publicum prodire, & de Philosophia, quæ
est humanarum diuinarumq; rerum notitia, in celebri lite-
ratissimorum hominum conspectu verba facere, præser-

tm cum tantæ rei maiestas, & huius grauissimi muneris
amplitudo tantum eos deceat, qui doctrina, eloquentia, au-
thoritate reliquos antecellunt, & eximium ingenij splen-
dorem, singularem scientiæ copiam, exquisitam rerum
cognitionem habent. Verum compellit doctissimorum
virorum authoritas, & diligens admonitio, vt provinci-
am meis viribus imparem perlibenter suscipiam, & ab hu-
ius loci summa claritudine minimè abhorream. Etenim
non tam mea accusanda temeritas, quàm eorum spectan-
da voluntas, quorum iussu in conspectum vestrum veni.
Quò autem meum institutum fæliciter expediam, oro ac
obtestor vos, vt æquis auribus me audiatis, qui non de te-
trici aut tristibus rebus institui dicere, verum de materia
& iucunda & vtili, videlicet de Philosophia, quæ ignoran-
tiæ caliginem aufert, veritatis lucem retinet, futuræ beati-
tudinis haustum propinat, instituit cultum pietatis, aperit
veritatem Euangelij, excitat spem amplissimorum bono-
rum. Talis igitur cum sit oratio omnium in vsum à me
parata, spero quoq; eam multum gratiæ apud nos, qui estis
syncerioris iudicij, habituram. Res est Philosophia eius-
modi, auditores perpetua obseruantia colendi, quæ viros
rum omnium sapientum testimonio atq; consensu & diui-
na omnia continet & humana. Sola namq; occultarum at-
que admirabilium rerum cognitionem inuestigat, & bene
viuendi instituta complectitur. Ex cuius præceptis qui
ætatem suam degere constituit, is sibi expeditissimum ad-
itum ac facilimum ad bene beatèq; viuendum iter compa-
rauerit. Huius igitur cum & diuina quædam eiusce rei fo-
ret

mit ε Α

ret amplitudo, & penè incredibilis splendor esse videretur, singulæ fermè totius orbis nationes ac gentes in rerum inuestigatione, & in perspicienda veritate curam omnem atq; operam posuerunt. Hæc enim amplissimam gloriam, summum decus, multiplicem fructum, incredibilem voluptatem, præcipuum ornamentum adfert. Hinc huius florentissimæ Academiæ proceres hoc diuinum bonum non solum augere, verumetiam hac doctrina fulgentibus optatum laboribus & vigilijs præmium conferre statuerunt. Quæ tanta ingenij amplitudo, quæ tanta orationis vis, quod tam magnificum dicendi genus inueniri potest, quo quisquam diuinæ Philosophiæ maiestatem & reuerentiam posset (non dicam) orando consequi, sed numerando complecti? Profectò tantæ rei præstantia atque gloria oratorum omnium superat Eloquentiam. Siquidem omnes homines naturali quodam sapientiæ ducuntur amore, ad eamq; adipiscendam ingenti cupiditate rapiuntur. Vnde magno ac splendido ingenio viros, qui tam apud Hebræos ac Barbaros, quàm apud Græcos & Latinos summa gloria floruerunt, reperio opes, honores, ac diuitias contempsisse, vt abiectis caducis, & fragilibus rebus commodius expeditiusq; rerum contemplationem ac scientiam complecterentur, Academici pestilentem locum & palustre Gymnasium delegerunt, vt videlicet castigato corpore, facilius ad speculandum animus intenderetur. Stoicorum nota continentia, & victus tenuitas est, è quibus Antisthenes Philosophiæ emancipatus, quæ possidebat, vendidit omnia, ac publicè distribuit. Cætera enim
pro

pro nihilo habuerunt solam sapientiam, in qua ^{omnis co-}gnitionis & scientiæ ratio continetur, dignam existimauerunt, in qua exquirenda omne studium, atq; operam collocarent. Hanc itaq; qui non intelligit quid bonum sit ignorat, qui non prosequitur immanis, qui non amat improbus, qui non amplectitur vecors, qui non tuetur, demens atq; insanus putandus est. Quid sine ipsius Philosophiæ institutione vita hominum esse potuisset & Humanarum ac diuinarum rerum notitiam qui tollunt, Solem è mundo tollere videntur, sine quo dubio procul cæcutimus in tenebris. Ex huius namq; præceptis singulorum, paucorum, vniuersorū profecta salus est, ciuitatum & reipublicarum manauit tranquillitas. Quod qui sapientiam contemnunt, non longè absunt ab immanitate bestiarū, & à societate ac conciliatione hominum meritò repellendi. Quid homo insipiens atq; huius expertus laudis, nisi quod Græci prouerbio vsurpant, infructuosa arbor? Quid nisi agrestis fera? Etenim si verum volumus perscrutari, nihil poterit Philosophiæ laude cogitari perfectius, quæ eius participem beatum efficit, nihil præstabilius, quæ nos Deo, id est, incommutabili bono conciliat, atque amicos reddit, nihil vtilius, quæ hominem ad immortalitatis gloriam perducit, nihil iucundius, quæ miro nos semper gaudio atq; incredibili afficit voluptate. Porrò Philosophorum omnium voce, & sapientissimorum hominum testimonio constat, illi summam & exquisitam doctrinam, maximam dicendi copiam, singularem rerum scientiam necessariam esse, qui huius studij multiplicem fructum

ctum explicare velit. Siquidem excellit hominum genus
rationis, consilij, atq; intellectus præstantia, pollet virtute
& sapientiæ laude, eminet multarum rerum splendore.
Vnde nisi à Philosophiæ in exhaustis fontibus intelligibi-
lium rerum cognitio? vnde cœlestium arcanorum con-
templatio? vnde omnis veritatis ac scientiæ lumen? Si no-
bilis & pulcherrima omnium illa notitia est, quæ & nobilitate
subiecti & maiestate præstat, & certitudine quadam
demonstrationis antecellit, iure plerisq; alijs sapientia an-
teponenda est, quæ exornat hominem non modo vi men-
tis ac dignitate rationis, sed perpetui quoq; æui munere,
atq; immortalitate viuendi. O singularem diuini muneris
amplitudinem, ô immensam tantæ lucis claritatem, ô ines-
narrabilem cœlestis doni laudem, quæ suo complexu tam
multa, tamq; præstabilia continet ornamenta. Hæc Phæ-
donem ab immani flagitiorum labe ad honestatis cupidita-
tatem officiumq; conuertit, hæc Cratem Thebanum ma-
ximis opibus fortunisque florentem ad magnam vim auri
abijciendam contemnendasq; diuitias compulit, hæc Le-
nonem Cittixum graui depressum iactura ac misero nau-
fragio in littus eiectum ad spem amplissimorum bono-
rum excitauit. Sed nemo satis huius tam præclari muneris
præstantiam referre possit, pro quo adipiscendo non sine
multo sudore exercuerunt se veteres Philosophi, quia vi-
derunt nobis à natura ingenita esse semina quædam hone-
statis. Non fallax gloria & inanis ostentatio, id quod mul-
ti falso opinantur, sed recta ratio potius ad inuestigandam
Philosophiam altissimos animos ita inflammauit, vt incre-
dibiliter

B

dibiliter

dibiliter eius amore ac studio conflagrarent. Nouerant illi
sanè, quod vel nemo dubitat, in quo lumen aliquod extat
ingenij duabus partibus hominem constare animo & cor-
pore, & alteram quidem nobis cum superis, alteram com-
munem esse cum belluis. Quid Indos veluti ferarum more
uictitantes, ad urbium domicilia compulit, & optimè in-
stitutis legibus ad bene viuendi disciplinam coegit? Phi-
losophia. Quid mentes nostras à terrestrium atq; humana-
rum rerum cupiditate abducit, & ad summi boni ac fælici-
tatis æternæ desiderium conuertit? Philosophia. Quid ad
res præclarè gerendas maxima adiumenta adfert, & Reipub:
decus ac dignitatem tm efficit, tum etiam seruat?
Philosophia. Quid tenuioris fortunæ homines in pulcher-
rimarum virtutum conspectum, & liberalium Artium cog-
nitionem admittit, admissos imbuit, imbutos transfor-
mat, transformatos perficit, perfectos in regis dignitatis
locum collocat? Philosophia. Utinam, auditores omni-
virtutum & doctrinarum genere præstantissimi, ea mihi
potestas dicendi esset, qua huius studij amplissimam vtili-
tatem, ac fructum vberimum dignis laudibus efferrem.
Etenim hæc est, vt Græci tradunt, verè laudatarum omni-
um pcreatrix quædam & mater artium, & donum omnia-
um longè præclarissimum, ab immortali Deo diuinitus
concessum mortalibus, lux vera illustrans hominum mens-
tes, & humanæ dignitatis præstantiam ab immanitate se-
gregans belluarum, vnde veluti à fonte vberimo, disci-
plinarum omnium riuuli manant, cui tanq; Regina assis-
tunt reliquæ omnes, & veluti ancillæ atq; pedisequæ obse-
quuntur

quuntur, etiam iuris Ciuilis calliditas, & humanarum legum peritia. Hanc qui verè & salubriter profitentur, summis sunt honoribus efferēdi, & omī laude decorādi, quippe quos præcipuos humanæ vitæ conseruatores instituit totius mundi Rector. Cumq̃ alia quæ fragilitas nostra possidet, caduca sint, & varijs fortunæ casibus subiacentia, sola sapientia, in qua rerum cognitio inest, sempiterna existit. Quamobrem Bias si non ob alias maximas suas virtutes dignus esset, qui celebraretur immortalitatis nomine, tamen vel hoc facto posset sibi non perituram gloriam addere, quia cum eius patriæ extremum exitium machinaretur hostis, neq̃ aureum poculum, neq̃ argenteum scyphum, nec eburneum vasculum, nec splendidam vestem nec præciosam supellectilem, sed sapientiam, sed virtutem, sed doctrinam secum portauit, quam intelligebat fortunæ varietati ac mutabilitati minime subiacere. Qui igitur hanc amplectitur, alit, fouet, is verè beatus dici & celebrari potest. Siquidem præclara hæreditas est Philosophia, cunctis thesauris præciosior Philosophai, omni patrimonio præstantior Philosophia. Profectò nullius est tantum flumen ingenij, nulla tanta dicendi aut scribendi vis tantaq̃ copia, quæ huius commoditates præcipuas non dicam exornare, sed ne enarrare quidem satis possit. Nonnè publica priuatis, cœlestia terrenis, æterna temporalibus, perpetua momentaneis præfert? Nonnè perturbationes sedat, vitia comprimit, restinguit iracundiẽ, coercet cupiditatẽ? Magna hæc sunt & præclara omnia, quæ vitam nostram vehementer exornant, & ad sælicitatem, qui finis omnibus pro-

A z positus


positus est, facilem atq; expeditum aditum præstant. Quo-
rum itaq; splendido ingenio ac singulari virtute animus
excellit, quibusq; specimen quoddam naturæ inditum est,
posthabitis etiam serijs rebus omne tempus in sapientia
ætatemq; consumunt. Nec aut conditio generis, aut for-
tuna illiberales homines ab ingenuis viris secernit, sed stu-
diorum potius industria, variaq; artium, atq; exercitio-
rum curricula. Illos namq; mercatura delectat, & ea mini-
steria, quæ abhorrent ab omni politiore elegantia. Hos li-
terarum cupido atq; doctrinæ comparandæ appetitus in-
cedit. Illi questum sequuntur, hi rerum cognitionem. Illi
corpus explere contendunt, hi quoad possunt, animum à
corporis societate seiungunt. Tanta vis doctrinæ est, vt
eos maximis præmij s muneribusq; dignissimos iudice-
mus, non qui claros parentes ostentant (Miserum est enim
aliorum incumbere famæ) sed qui virtute nituntur, & ma-
gnam rerū scientiam nacti sunt. Philosophi (credite mihi)
quò plura adepti sunt, eò maiores merètur honores. Ma-
gnus Vir fuit Democritus Physicarum inuestigationum
peritissimus. Maior Plato, qui ad scientiam rerum adhi-
buit dicendi copiam. Clarus Socrates fuit, qui oratoriam
artem plurimum illustrauit. Clarior Aristoteles, qui Elo-
quentiam simul & Philosophiam complexus est. Præstans
fuit Hortensius maiestate dicendi. Præstantior Marcus
Tullius rerum omniū disciplina instructus. Illustris Mar-
cus Varro Græcè ac Latinè eruditus. Illustrior Hierony-
mus, qui Latinum, qui Græcum, qui Hæbraicum eloqui-
um percalluit, qui omnes (ne plura referā) omnium penè
& linæ


& linguis & literis celebrantur. Horum quando ad eas artes nati sumus, vestigijs insistere debemus. Sunt qui diuitias & facultates perquirunt, sunt qui dignitates, honores, fasces, imperia consectantur, sunt qui potentia atq; opibus inhiant, sunt qui pecudum more voluptatibus seruiunt. Sed fallacia hæc, caduca, & incerta sunt omnia. Philosophia optanda nobis, rerum scientia inuestiganda est, quæ sola immortalis, & perpetui temporis possessio est, cuius quidem radices (si Aristoteli credimus) amaræ sunt, sed per quam dulces ac multò suauissimi fructus eius, quos si degustare volueritis, summam fueritis iucundissimi pabuli voluptatem assequuti. Hæc hæreditas nostra est, hæc certa possessio, quæ necq; naufragio, necq; incendio amittitur, nec à latronibus eripi, nec subripi à furibus potest. Extollant ergo alij Iuris prudentiam, laudent Medicinam, commendent peregrinas linguas, ego sapientiam, quæ humanæ societatis & prora & puppis est, omnibus rebus anteponendam esse censeo. Per hanc enim maximè expolitur humanum genus, nostræ naturæ præstantia à belluarum feritate distinguitur, hominum vita præclara, laudabilis, elegans, & diuinæ celsitudini similima redditur. Sed quis tam frugiferi, tanq; præclari muneris amplitudinem satis digna oratione cõplecti valeat? O vitæ philosophia dux, O virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quid non modo nos, sed omninò vita hominum sine te esse potuisset? Tu Vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem conuocasti, Tu eos inter se primò domicilijs, deindè coniugijs, tum literarum & vocum communione vinxisti. Tu

nuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti.
Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorē mor-
tis sustulisti. Deficiat me dies si in huius laudibus explicā-
dis nostra diutius immoretur oratio. Sed & præter confi-
sij mei propositum acrationem longior sum, quàm imbe-
cillitatis meæ comperta fragilitas postulare videatur. Il-
lud certè affirmare nequaquam dubitauero, si vnā Phi-
losophiam, vtrisque (quod dicitur) manibus appræhendere
vouerimus, huius florentissimæ Academiæ statum præ-
sentem, incolumen & tutissimum reddiderimus. Valeant
qui clara voce profitentur in hoc studio tantum esse vari-
as opiniones, disceptantes sententias, dissidentia iudicia,
indissolubiles controuersias, repugnātes rationes, vt non
tam r̄, quos Philosophos vocant, lucem aliquam rebus at-
tulisse, quàm tenebras potius, ac veluti noctem quandam
effudisse videantur. Valeant qui acri iudicio asserūt apud
sapientiæ studiosos, quasi quandam dnbiā cænam esse,
vbi in tanta sententiarum diuersitate vnā cum Terentiano
Phormione nescias quid sumas potissimū. Sed ibi om̄ia
lauta ac splendida, hic perturbata cuncta atq̄ confusa. Er-
rant qui perniciosi capti erroribus (proh facinus vio-
lentum atq̄ crudele) Philosophiam admirabile ac cæ-
leste donum diuinitus concessum mortalibus euidenti ca-
lumnia prosequuntur, & omnium notarū damnis & igno-
minijs afficiunt. Per hanc enim ipsam iungitur intellectus
noster superioribus mentibus, quas tum cælestes intelli-
gentias, tum substantias separatas, tum motores orbium
Philosophi appellant, in quibus contemplandis, vt sapien-
tes viri

tes viri tradiderunt, sita est hominis externa felicitas. Voluptates verò quibus maximè humanum genus adstringitur, diuitiæ, quarum cupiditas mortalium mentes maximè labefactare consuevit, honores pro quibus adipiscendis non pauci dies noctesq; laborant, impediunt ne beatitudinem tanquam suauissimi fontis aquam saluberrimam plenissimis faucibus hauriamus. Quæ cum ita sint, vos, qui ad Gymnasia publica discendarum optimarum artiũ causa, & veluti ad honestissimam virtutum & scientiarum mercaturam ablegati estis, adhortor & moneo, vt posthabitis humanis curis sapientiam in domicilio cordis vestri collocetis, huic percipiendæ omnes neruos intendatis, & studiosos ad amplectendam studiorum gloriam impellatis, inuitetis, infammetis. Hanc capessite iuuenes, optimum enim est viaticum, vt aiebat Bias Prienæus. Hanc amate senes, nam hoc amplissimum Dei donum nulla aufert ætas, sed indies magis ac magis excrescit, vt iure optimo cunctis rebus alijs anteponenda sit. Itaq; omnium ferè gentium ac populorum nomine immortales vobis Professoribus gratias ago & sempiternas, quòd hanc præclarissimam Philosophiam, quæ aduersis temporibus, & grauissimis casibus obsoleuisset, summo studio atq; consensu reuocatis. Tibi verò Vrbs florentissima Ingolstadiana gratulor, quæ cum paulò ante tristis ingemeres, & Professorum tuorum interitum deplorares, quibus & multis & clarissimis te temporum iniuria orbauit, cum modo quasi victuosa iaceres, cum penè exultante sapientia tota in tenebris versareris, magnum repente adeptus es tot laborum
folatium,

folatium, nunc tibi clarissima lux orta est, nunc tua dignitas illustrata, nunc pristino splendore refulges in solio, nunc denuò aurea capiti tuo adiecta corona est. Euge lætare Ingolstadtum, nunc te tota Sueuia, nunc Saxonia, nunc Misnia, nunc Franconia, nunc Austria, nunc vel vltima quæcūq; gens atq; abditissima natio alumnam reuifet, nunc parentem recognoscet, matrem salutabit, nunc ad te confugiet, vt rursus pro vetere consuetudine lac suauissimum ac dulcia sibi ministres alimenta. Pacem iam tibi diuturniorem, tutiorem tranquillitatem, firmiorem auguror gloriam. Hos tibi amplissimos honores ac splendidissimum decus conseruet immortalis Deus in perpetuas æternitates, & æternas perpetuitates. Dixi.







Orat
da

38